



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1562 usque ad annum 1563

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1771

VD18 9011860X

§. 89. Aliud Pinczoviense conciliabulum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66641)

Verum cuncta hæc monita parum Sæcul. XVI.
A.C. 1562.
 movebant Sarnicii animum, qui indignationem suam fat aperte exerebat, dum in Bonari villa, ubi plures Mini-
 stri convenerant, unacum illis sensum maxime proprium indagabat illorum Divi Pauli verborum: *Unus Deus, unus, & Mediator Dei, & hominum homo Christus JEsus.* 1. ad Timoth. cap. 2. v. 5. Sarnicius ergo hoc nomen *Deus* pro Trinitate accipiendum contendebat, id vero Paulius pernegabat, his verbis sensum prorsus contortum attribuens: igitur Sarnicius Paulium manifestum esse hæreticum vociferans postulabat, ut suo munere exutus tanquam homo, qui Arii, & Serveti hæreses innovaret, Cracovia expelleretur. Verum ut hisce jurgiis finis imponeretur, ac quis eorum erraret, dignosci posset, rursus alia Pinczoviæ Synodus indicebatur.

§. LXXXIX.

Aliud Pinczoviense conciliabulum.

Hæc Synodus Mense Augusto anni Lubian. l. e.
 post Christum natum millesimi quingentesimi sexagesimi secundi celebrata est, ad quam Sarnicius invitatus adesse pollicebatur, promissis tamen stare minus consultum censebat. Hi, qui intererant, fidei suæ professiones tradebant, qua re cognita Sarnicius

Sæcul. XVI. hisce declarationibus ad confutandum
A.C. 1562. Bonarum, ac conciliatores utebatur, ostendens, quod ejusmodi homines perverse de Sanctissima Trinitate sentirent. Verum hac sua agendi ratione Sarnicius inter spuriae Reformationis Ecclesias diffidia concitabat: Bonaro autem, qui novam Cracoviensem Ecclesiam protegebat, repentina morte sublato, atque ejus vidua paulo post ad secundas nuptias convolante Pauli res aliam induebant faciem, quippe tum fundus, cui Ecclesia fuerat superædificata, novi Mariti dominio cedebatur, ac Chicovius supremus Cracoviae Camerarius Vir apud adulterinos Reformatores optime meritus, eo quod Cracoviae aedes suas pro cujusdam Ecclesiae fabrica eisdem donasset, in domo sua conventum celebravit, ubi Sarnicii, & Laurentii Prasnicii ejusdem focii factio tantopere prævalebat, ut tandem adversus Gregorium Paulium quantumvis absentem judicii acta instruerentur, atque sententia in eum pronuntiaretur, vi cuius suo Superintendentis munere in minoris Poloniam Ecclesiis spoliatus, tanquam Arianæ hæresis restaurator Cracovia expelleretur, quæ etiam sententia effectui dabatur, Paulius tamen haud longe discesserat, sed brevi non paucos sibi conciliabat, qui suo illum patro-

patrocinio foventes tutum ei asylum Sæcul. XVI.
præbebant. A.C. 1562.

Verum non destitit Sarnicius, haud enim ignorabat, quod, etsi Paulus sua dignitate exutus esset, per hoc tamen non nisi aliquatenus causæ suæ æquitati satisfactum foret, nisi simul etiam errores, quos Pinczoviani circa Trinitatem adoptant, sermonibus suis divulgandi prurigo in potissimis Ministris restringeretur: quapropter Sarnicius, qui amoto Gregorio Paulo Ecclesiarum in minori Polonia sitarum inspectionem supremam obtinuit, novam fidei professionem Pinczovianæ oppositam consarcinavit, eique decretum adjunxit, vi cuius omnes illi, qui Patrem æternum Filio magis eminentem prædicare ausi fuerint, suo ministerio privati existerent. Hoc decretum, quamvis a Synodo approbatum, ac subscriptum, nullam tamen vim obtinebat, quippe Ministri semper ubique eandem prædicandi rationem tenebant.

Seniores cum hac agendi ratione dissensionum flammam in suis Ecclesiis magis, magisque accendi præviderent, Pinczoviæ Mense Novembri rursus aliam Synodum convocare decernebant, simulque Sarnicium, ut interesse vellet, hortabantur: ast ille, cum se in hoc conciliabulo Magistri munere haud fun-

cturum

Sæcul. XVI.
A.C. 1562.

cturum prænosset, aliunde vero illuc accedere minus gratum esset, omnino abesse constituit.

§. CX.

Sanctissimæ Triadis mysterium in Mordienfi conventiculo impugnatum.

Lubien. hist.
Ref. Pol.

Mense Junio anni sequentis sollicitante Lutoromiskio viginti duo Ministri Mordii, quæ urbs in Vilnensi Palatinatu sita est, convenerant, ibidemque decretum condiderant adversus illos, qui Dei unius in tribus Personis dogma tuerentur. Hoc decreto veluti primo signo ad tumultum dato potissimæ ex reformatione spuria Ecclesiæ insurgentibus contra Sanctissimæ Trinitatis Mysterium; quamplurimi enim Ministri, Nobiles, Magistratus, Equites, Gubernatores, Palatini, exercitus Belliduces, ac minoris, majorisque Poloniæ, Lithuanicæ, Russicæ, Podolicæ, Volhinicæ, Prussicæ, Moravicæ, Silesicæ, & Transylvanicæ Consilarii novo Arianismo nomen dabant, atque Christi Domini Divinitatem, æqualitatem, ac consubstantialitatem impugnabant, quinimo horum factio, et si forte inter Ecclesiæ Romanæ inimicos ceteris tam numero, quam potentia superior non fuerit, saltem Lutheranis, & Calvinisticis omnium maxime terribilis videbatur: eapropter

hi,